

J. N. D. O. M.
Dissertatio Academica,
De
Hippophæe,

Quam,
Consensu Ampl. Senatus Philosophici, in
Regia Academia Aboënsi,

Praefide

D:no CAR. NICOL. HELLENIO,

*Philos. & Med. Doct. Philos. Prof. Reg. & Ord. Horti
Acad. Præf., nec non Reg. Acad. Scient. Holm. Membro,*

Publicæ Disquisitioni

Pro Laurea

Modeste Submittit

PETRUS STENBERG,

V. D. M. Westrobtotniensis.

*IN AUDIT. MIN. die X. JUNII
MDCCLXXXIX.*

H. A. M. C.

Aboæ Typis Frencckellianis.

S:æ R:æ M:tis.

MAGNÆ FIDEI VIRO,

CHILIARCHÆ LOCUM TENENTI,
EQUITI, ORDINIS REGII ENSIFERI, PERILLUSTRI

LIBERO BARONI,

D:no CAR. EPHR. CARPELAN,

MÆCENATI MAXIMO,

In pignus grati animi, ob innumera in me collata beneficia, pique pectoris pro SUA FAMILIÆQUE SUÆ PERILLUSTRIS perenni incolumitate, atque prosperitate, vota perpetua fundentis humillime hocce opusculum offert, dedicat & consecrat

MÆCENATIS MAXIMI

cultor devotissimus
PETRUS STENBERG.

Reſtori Vicario,

Et

Apologiſta Scholæ, quæ in Pitheâ floret Dexterrimo

Præclariffimo D: no Magiſtro

CAROLO SAEDENIO,

Præceptori olim Fideliffimo.

*Quum nemini, niſi TIBI Tuoque felicitatis meæ promo-
venda zelo, Tuæ fidelitati & indefeſſo Studio labori-
que, Mentor Fideliffime, & initia, & progressus meos in
Litteris adſcribere debeam; ex intimo quidem pectore optem,
ut ex hiſce pagellis, pro ſummo Tuo Jure, ſigna navatæ
meæ ſcientiis induſtriæ, tanquam fructus laborum Tuorum,
percipias: ſed magis adhuc, ut affectum in Te meum, gra-
tumque animum, hinc cernas. Accipe igitur, quaſo, hoc
piæ mentis documentum, benevole & faventer: quod ſi fece-
ris, ut facturum Te ſpero, novi mihi inde accedent ſtimuli pro
Tua incolumitate & omnigena felicitate Summum Numen
præcibus ſinceris compellandi. Quamdiu anima hos regit ar-
tus, ero Tuus,*

Fautor Propenſiffime,

cultor humillimus

PETRUS STENBERG,

Dannemannen i Umeå Socken,
Ärlige och Förståndige

Eric Persson,

Samt

Desß Dygderika och Sedesamma Hustru

Anna Eric's Dotter.

Mine Guldaste Föräldrar!

It tolka all den ömhet och omvårdnad, hvarmed Mine Guldaste Föräldrar mig omfattat, för at bereda mig en lyckelig framtid, i det De ei allenast under svaga villkor, håldre welat fördjupa sig i skuld, än uphöra, at efter yttersta förmåga understödjå mina Studiers början och forkomst, utan ock på det sorgfälligaste, ifrån spådaste åren, både igenom underwisning och efterdomen, sökt implanta i mitt hjerta en ren dygd och oförfälskad wördnad för det Gudomeliga Majestätet; wore wäl nu min plikt, men som är mig ömdjelig at rätteligen fullgöra. Ännu mindre finner jag mig i stånd, at sådant alt wederbörligen kunna förskylla, på annat sätt, än at jag uphörligen skal lysa emot Eder den lifligaste tacksamhet samt altid upskända brinnande böner til Gud, det han wille gjöra Edra ännu återstående dagar lika så fålla som många, samt efter detta förgångeliga lifwet församla oss alla uti en ewig lycksalighet. Tillåten mig, at offentligen få beryga detta mitt tacksätt, då jag nu tager mig den friheten, at tillsägna Eder detta lilla arbete, såsom et ringa bewis på den barnliga wördnad, hvarmed jag, så länge Gud mig unnar lifwet, framhårdar

Mine Guldaste Föräldrars

ödmjuk = lydigste son
PETTER STENBERG.

DE HIPPOPHÆ.

Quisque suam terram aquamque noverit.

FLINIUS.



Quum natura suo ex sinu, homini omnia, quæ ad victum, amictum & delectationem necessaria sunt, larga omnino offerat manu; nemo jure negabit, interiori ejusdem cognitioni, velut certissimo suo fundamento, insignem omnino terræ nostræ felicitatis partem inniti. Neque inficiandum est, homines a prima generis sui origine, obtinendæ huic tantopere necessariæ notitiæ, pro virili studuisse; filo autem Ariadneo, quo ad eandem certo ducerentur, adhuc dum involuto & abscondito, nemo miretur, eos, ambiguis passibus & fortuna volubili, parum omnino in natura rimanda procedere potuisse. Casus sæpe fortuiti soli eorum fuere ductores, nullus igitur ordo, nexus cognitionis eorum nullus expectari potuit.

Velut de inestimabili nostri temporis prærogativa nobis gratulari possumus, quod secularium quorundam ingeniorum indefesso studio & admiranda prorsus observandi industria, filum istud Ariadnæum tamdiu desideratum, jam non modo inventum sit, sed etiam perfecte fere enodatum videatur. Cujus ope propius propiusque duci possumus, non tantum ad diversa naturæ producta rite dignoscenda, sed quod caput omnis nostræ disquisitionis constituit, ad cognitorum qualitates & vires explorandas. Clavis itaque quædam ærarii naturæ, a Numine Clementissimo, generi tradita est nostro, & aditus pate-

factus; sed segnis, otiosus & molestiæ impatiens quisque frustra sibi persuadet, heic se statim omnes detecturum divitias, & sine omni ulteriori scrutinio, ad opum possessionem perventurum. Sunt enim ibidem innumere latebræ, quas nemo sine diligenti observatione, studio & explorandi labore invenire potest. Ad introitum plurimi adhuc attoniti subsistunt, & contenti nudo opum ibi reperiendarum aspectu ac designatione, parum querunt, ubinam inveniantur, minus etiam cui inserviant usui? Nonne hujus illustrandæ veritatis causa, de illis, exempli loco, hoc jure dicere possumus, qui in vegetabilibus cognoscendis, in eo tantum acquiescunt, quod hujus vel illius vegetabilis nomen & characteres teneant, omnem negligentes ulteriorem inquisitionem in proprietates eorum, naturæque admirandam cum illis œconomiam. Necessaria hæc accuratius & seorsim instituenda uniuscujusque naturæ producti exploratio, videtur quidem primo intuitu minime præstari posse, postquam imprimis comperimus numerum eorum esse magnum & novis detectis in dies augeri; sed ponamus tamen quemvis, qui unquam possit, in se suscipere curam, dicto modo, unum vel duo naturæ producta quotannis pro tempore & occasione sibi concessa, examinandi, suaque postea de illis collecta experimenta, Societati cuidam, in naturæ indagationem incumbenti, committere, quæ eadem dijudicare & ad varios convertere usus sciret. Multum sane temporis hisce observationibus quavis occasione impendendi nolim poscere, neque multis hoc, propter plures & graves officii functiones superesset: satis sit, si eo saltem instituantur tempore, quod vel alicui abundat, vel alias recreationi mentis alii & remissioni tribuunt. Quam certo humanæ naturæ multis aliis hæc esset congruentior, tam certo etiam plerisque, consuetudine accedente evaderet gratior. Et dic fodes! Num alio consilio facilius ad naturæ pervenire possemus cognitionem? vel nonne hac ratione plura, paucis annis detegerentur naturæ
arca-

arcana, quam multis seculis, ubi casui rem fere totam permit-
timus, sperare audemus?

Quum præterita æstate ad oram versarer Fennix mariti-
mam, quantum per tempus liceret, fruticem quandam *Hippo-
phaën rhamnoiden* (Hafszörnet) ibidem quamvis ubique tere
obvium, tuas tamen quod ad qualitates imperfecte omnino
cognitum, dicta ut explorarem ratione, in me suscepi. Quo
tempore, quæ de eodem experiri mihi rerum momenta licuit,
brevis hac dissertatio Tibi L. B. ob oculos ponere est ani-
mus. Tu vero, quæ tua est humanitas, conatus meos, im-
becilles quidem, sed innoxios, in meliorem, quæso, inter-
preteris partem.

§. I.

Genus *Hippophaës* secundum Systema vegetabilium Sexuale
Linnæanum, Botanicis receptissimum, ad classem pertinet
Dioeciæ ejusque ordinem, quem *Tetrandriæ* vocant; atque a
suis congeneribus sequenti caractere generis naturali optime
dignoscitur.

Mas.

CAL. *Perianthium* monophyllum 2. f. 4. partitum; *laciniis* con-
cavis erectis.

COR. 0.

STAM. *Filamenta* 4. f. 2. *Anthera* oblongæ.

Femina.

CAL. *Perianthium* monophyllum, bifidum f. 4. dentatum, de-
ciduum.

COR. 0.

PIST. *Germe*n ovatum, superum. *Stylus* simplex. *Stigma* erectum, incrassatum, calyce longius.

PER. *Bacca* ovata, unilocularis, 1. sperma.

SEM. unicum, subrotundum.

§. II.

In Ordine Naturali hoc genus aperta cum sic dictis vegetabilibus *Calycifloris*, junctum est affinitate, quæ in sequentibus ab habitu eorum desumptis notis optime consentiunt.

Placentatione scilicet dicotylodona,
 Radicatione ramosa,
 Ramificatione determinata,
 Foliatione simpliciter imbricata,
 Stipulatione e squamis foliaceis excrefcentibus,
 Pubescentia squamulosa,
 Inflorescentia sparsa,
 Calyce Monophyllo,
 Corolla nulla,
 Pistillo unico,
 Fructu Drupa.

§. III.

Duæ tantum hujus generis hætenus detectæ sunt species, quæ ad Botanicorum scita, sequenti describendæ jam veniunt modo.

HIPPOPHÆ *rharnnoides* spinosa, floribus tetrandris, foliis alternis, lanceolatis. Hippohæ rhamnoides, foliis lanceolatis, Linn. sp. pl. p. 2. p. 1452. Syst. veg. ed. XIV. p. 234.

RADIX perennis, ramosa, crassa, lignosa.

CAULIS arboreus, solidus, biorgyalis, & ultra crassitie 8. ad 10. pollicum, erectus, teres, foliatus, rimosus, adultior glaber, junior squamosus; ramosus: *Ramis* alternis, divaricatis, angulatis, spinosis.

FOLIA alterna, patentia, petiolata, bipollicaria, lanceolata, integerrima, superne fere nuda, inferne confertim squamosa, avenia, plana, decidua.

FULCRA.

Petiolus brevissimus.

Pubes, *squamæ* peltatæ, ciliatæ, argentæ, fusco irroratæ.

Spinæ & terminales supra axilaresque.

INFLORESCENTIA,

Mas.

Gemmæ plures solitarii infra gemmam folii.

Femina.

Gemmæ axillares solitarii.

Mas.

CAL. *Perianthium* monophyllum, bipartitum: *laciniis* subrotundis, extus squamosis, fusco irroratis, intus glabris.

COR. 0.

STAM. *Filamenta* 4. brevissima, alba.

Anthera fusca.

Femina.

CAL. *Perianthium* ut in mare; sed tantum bifidum.

COR. 0.

PIST. *Germen* superum.

Stylus brevis.

Stigma calyce duplo longius.

PER. *Bacca* globosa, rufo-flavescentes.

HIPPOPHAË canadensis, inermis, Floribus octandris, foliis oppositis, ovatis. Hippophaë canadensis. Linn. Spec. pl. ed. 2. p. 2. p. 1453.

Syt. Veget. edit. XIV. p. 884.

RADIX perennis, ramosa, lignosa.

CAULIS Arboreus, solidus, orgyalis, erectus, teres, foliatus, rimosus, adultior glaber, junior squamosus; ramulus: *Ramis* oppositis, erectis, angulatis.

FOLIA opposita, patentia, petiolata, pollicaria, ovata, integerrima, superne adspersa pilis minimis, fasciculatis, divergentibus, inferne conflertim squamosa, pilosa, ferrugineis punctis irrorata, avenia, plana, decidua.

FULCRA.

Petiolus brevissimus.

Pubes, pili simplices, minimi.

Squamæ peltatæ, ciliatæ, argenteæ.

INFLORESCENTIA.

Mas.

Gemmæ 2. oppositæ infra gemmam folii.

Femina.

Gemmæ 2. s. 3. in racemo brevissimo simplici.

Mas.

CAL. *Perianthium* monophyllum 4. partitum: *laciniis* lanceolatis, intus virescentibus, nervis 3. fuscis longitudinalibus, extus albicantibus.

COR. 0.

STAM. *Filamenta* 8. longitudine calycis: virescentia.

Anthera fusca.

Femina.

CAL. *Perianthium* monophyllum, 4. dentatum, dentibus erectis.

COR.

COR. O.

PIST. *Germen* ovatum, superum.

Stylus longitudine calycis.

Stigma incrassatum.

PER. *Bacca* ovata.

§. IV.

Harum *Canadensis* illa exteræ est originis, & a Celebrissimo Academiae nostræ, dum viveret, Professore Domino Doctore KALM, in Canada primum fuit detecta, unde etiam hocce nomen suum sortita est triviale. Postea vero ab Ill. Domino CONST. JOH. PHIPPS, (jam Lord MULGRAVE) sub expeditione sua ad Polum Arcticum maritima, in Insula Terræ Novæ (New Foundland) inventa est; fortassis in reliquis etiam hanc circumjacentibus insulis borealibus reperiunda? *Rhamnoides* autem, quæ Finlandiæ quoque nostræ est incola, in Anglia, Hollandia, aliisque Europæ regionibus læte viget. Locus fruticis huic natalis, secundum nostras saltem observationes, est ora maritima arenoso-glareosa, ex qua, illa quæ in *Pybama*, Urbes inter Raumoam & Neostadium sita occurrit, imprimis nominanda venit, utpote hujus fruticis feracissima. Qui vel aliquali attentione hanc ejus perpendit stationem, non potest non pia admiratione sapientissimam Numinis venerari dispositionem. Littora maris, e quibus violentissime sæventes ventî omnem alias vegetabilia alentem everrunt humum, hic habitat frutex, ibi malaciam efficit, in qua a procellis elevatæ terrarum particulæ primum sublidant, sensimque hujus putrefactis foliis auctæ, pluribus demum vegetabilibus stationem parant convenientissimam. Quas porro novaccolas, quo lætius vigeant propagenturque, suis, ab animalium violentia, aculeis defendit frutex, densissimisque ramis folis con-

tra

tra æstum obumbrat. Celeb. GERARDUS in Flora sua Gallo Provinciali eundem crescere in subalpinis juxta flumina asserit, quemadmodum & Ill. HALLER, per totam Helvetiam in littoribus glarcolis fluviorum; diversam itaque ab illa, quam hic obtinet, eidem attribuunt stationem. Fieri autem potest, ut his in locis, eadem requiratur naturæ œconomia ac ad patientes oras nostras maritimas: num ergo mirum si, natura eidem obtinendo fini iisdem utatur mediis? Apud nos saltem in continenti raro invenitur terra; ac quodocunque oram extra maritimam plantatur, ut plurimum sterilefcit.

§. V.

Frutices inter ad illum pertinet ordinem, qui *Sentes* complectitur; hominis enim obtinet altitudinem, caule erecto, validisque porro aculeis injuriam arcet animalium. Foliis nondum expansis carini ejus protruduntur flores, sapientissimo utique naturæ consilio, nimirum ne, foliis intervenientibus pistilli impediatur fœcundatio. Quam eandem tenerrimam providæ naturæ curam in plerisque arborum & fruticum generibus hujus Classis animadvertimus. Dum effloruit, vel anthesi plene peracta, ad finem plerumque Mensis Maji folia expanduntur, quæ fruticem, nisi vehementiores procellæ eadem antea divulserint, in præcipitem usque ornant autumnum. Pro diversa aëris, dum floret temperie, fructu vel exuberat, vel penitus depauperatur. In eo saltem conspirant observationes, quod si noctes mense Majo fuerint gelidæ, fructus autumnos subsequenti, omnino evadant rarissimi. Tarde maturescunt fructus, & haud raro, jucundo certe spectaculo, per totam hyemem suis adhærent ramis. Maturescentes iidem flavescunt, frigore vero tacti sensim rubent. Ex qua variatione procul dubio illa etjam derivanda est diversitas, quæ apud auctores occurrit in describendo colore fructus hujus, quem nimirum pleri-

plerique flavum statuunt. Fieri enim potuit, ut frigus illis locis adeo grave non fuerit, ut hanc fructus efficere valuerit mutationem; vel forsitan fructum judicarunt maturum, antequam ultimam hanc subierit præparationem? Varius etiam sapor, qui eidem a variis inesse traditur auctoribus, eadem fortassis ratione explicandus erit? quem scilicet alii palato ingratissimum, alii vero eidem acceptum adeo pronunciant, ut fructus hos embammatum instar saporis augendi gratia in variis cibus adhibendos proponant. Diuturna quippe nobis innotuit experientia, plerosque, qui sero tandem maturescunt autumno fructus, quod ad saporem attinet, frigore multum perfici, cujus rei evidentissima exstant documenta in Vacciniis, Cratægis & Sorbis, ut plures taceamus. Annon per summam Nummis fieri possit sapientiam, ut caloris tantopere promoventis fructuum in regionibus australibus præstantiam atque bonitatem, vices quadantenus, frigus, in perficiendis atque maturandis nostrarum regionum fructibus, agere queat? Hoc omnino indubium est, *Hippophaës* fructum, in oris nostris maritimis, frigore affectum semper rubellum esse, & inprimis si sublequenti primum vere colligatur, tantum austeritatis suæ perdidisse ingratiq; saporis, ut Rob vel embammata ad obsonia condienda ex eodem confici haud absurda possint.

§. VI.

Ovibus & capris folia fruticis nostri gratum omnino præbent pabulum, quæ singulari quadam sagacitate ab ejus sibi cavere norunt aculeis. Equi vero quamvis gratissima iis etiam hæc sint folia, eadem tamen intacta relinquunt, quamprimum aculeos, quibus armatur, Hippophaës sentiunt. Pabuli augendi causa pecudibus asservandi, quo hæc colligantur folia autumno delapsa, optime consultum iis saltem videtur ruricolis, qui de penuria pabuli quovis fere vere tristissimas

proferunt querelas. Quod pabuli augmentum non profus fore contemnendum quisque intelligit, cognita copia foliorum hujus fruticis, ipsiusque summa in oris nostris maritimis frequentia. Nulli insectorum, quantum quidem mihi constat, proprium in hoc frutice datum est domicilium. Hæc enim animalcula non tolerare posse videntur procellas, quibus hic exponitur frutex; eundem itaque quasi privilegio munitum intactum relinquere coguntur, fortassis ob supra indicatam sapientissimam naturæ œconomiam: adeo ut hæc in re quemadmodum in plurimis aliis veritatem verborum *Senecæ* experiamur, qui *omnia* inquit, *naturam adjuvabunt, ut naturæ opera peragantur.*

§. VII.

Ut jam, coronidis loco, etiam de usu ejus in privata nostra œconomia nonnulla commemorem, candide mihi fatendum, meam adhuc exiguam esse experientiam; adeoque me in his plerisque aliorum niti fide. Narrat Rever. GUNNERUS in Flora sua Norvegica, & folia & lignum hujus fruticis a Bigdalsensibus adhiberi in decocto contra eosdem morbos, in quibus decoctum lignorum a medicis vulgo præscribitur; quo in casu vires Hydroticas & Diureticas prodere, ut sibi relatum tradit (a). Fructui vim purgandi CAMERARIUS attribuit (b), quæ procul dubio in immaturo quærenda est, quamdiu scilicet nauseosum illud adhuc fovet, quod ad talem præstandum effectum requiritur, & hoc etiam in casu haud aliter ac *Tamarindus* hunc in usum forte ordinari, oportet. Quod in Dynteritiis idem Auctor hunc laudat fructum, ex acido ejus & adstrin-

(a) Vid. Libr. citat. p. 1. p. 10. n. 11.

(b) Vid. JOH. BAUH. Histor. pl. Tom. I. L. VI. Cap. XII. p. 55.



adstringente sapore Medici deducere fortassis poterunt; omnium enim consensu, hic, in Medicamentis & febrim sedantes & putredinem corrigentes aperte prodit vires. A nostro autem instituto alienum est, in præsentia hæc qualicumque dirimere iudicio; cum eodem potius Camerario dicamus: *solvant hunc nodum experti*. Quod vero ad fructus in re cibaria usum adinet, idem quodammodo ex iis, quæ in §. 5. de variante ejusdem sapore dicta sunt, colligi potest; acini nimirum frigore tacti in condimenta ciborum præparari possunt; quod teste LINNÆO, Alandorum comprobatur experientia. An etiam Siceram vel Cidram (*Cider*) aliquam, vel acetum saltem ex iis præparari possit? futuri certe temporis meretur attentionem. Hos etiam colori flavo linteis inducendo inservire, non sine fundamento, beatus statuit KALM; quod tamen postea experimentis non confirmavit, neque ab alio quodam huc usque ad liquidum perductum est. Lignum præbet durum & valde tenax, ideoque ad instrumenta textoria (*wässfedar*) & clavulos furculorum (*wässerinor*) conficiendos, utiliter adhiberi potest. Idem in foco adhibitum domum optime calefacit, cineremque suppeditat ad lixiviam & saponem coquendam oppido aptum. Ad sepes vivas præstantior quidam frutex, in oris saltem maritimis dari vix potest; dense crescit, tonsuræ patientissimus, suisque aculeis, ferocissimum etiam ne superliat, coercet taurum. Experimenta cum illo in horto Academico facta, factis superque docent, etiam alibi ad eosdem usus eundem adhiberi posse fruticem; ut autem vigeat glareosum & humidulum ei concedendum est solum, in quo viviradicibus facile propagatur. Verbo utilisimos inter frutices locum mereri videtur Hippophaës; optandum vero ejus profuturas, ut citius detegere possimus proprietates plures.

Sed manum de tabula.

